

operam, ut homogenea adferam. Hic iterum cauto opus est. Sunt enim quædam themata mixta; quæ si tractentur è diversis disciplinis, nullo modo violatur lex ὁμογενείας. Sed hæc de re in libris superioribus aliquoties diximus. Ad summam: Illa sunt homogenea, quæ faciunt ad thematis principalis declarationem vel demonstrationem. e. g. doctrina de literis homogenea est in Grammaticâ; quia facit ad definitionis (hæc enim consideratur tanquam propositio, ut ita dicam, totius operis, juxta illud scitum: quod in oratione est propositio, in arte est definitio artis) Grammaticæ vel explicationem, vel, si ita vis, demonstrationem. Definitio enim Grammatices est hæc: ars benè seu purè loquendi. At doctrina literarum facit ad benè loquendum. Ergò in Grammaticâ est homogenea. Quare severa lex methodi est; ne quid Logicum in Grammaticis, vel Physicum in Ethicis tractetur. Quòd si in disciplinâ subalternatâ aliquid doceatur, quod in subalternante est propositum, hoc fit alio modo, ut notum est. Præterea hæc lex non est extendenda ad commentarios & tractationes incidentarias in disciplinis. Nam sæpè usu venit v. g. in theologiâ, ut ex philosophiâ aliquid pro necessariâ explicatione sit adducendum in commentarii vicem. Idem in aliis disciplinis fieri videmus. Quare videndum, ne nimis calidè authorem aliquem arguamus τωτολογίας & ἑτερογενείας. Ad extremum hic oportet distinguere inter rem consideratam & modum considerationis. Regula hujus loci est: *Quod in unâ arte est homogeneum, in alterâ est heterogeneum*: sed cum limitatione accipienda est. Vera scil. est, si spectes modum considerandi; falsa, si rem consideratam. Nam res considerata potest esse communis multis disciplinis; at modus considerandi in aliâ disciplinâ est alius. Sic homo consideratur in physicis, quâ corpus naturale est; in theologicis, quâ civis ecclesiæ est; in ethicis, ut probè vivere debet. Summa: omnes fermè disciplinæ tractant de homine. Talia adduci possunt plurima. Nec tamen in unâ eâdemq; arte potest tractari de unâ re in diversis locis. Sic enim vel eadem res eodem modo traderetur, vel diverso. Si illud, esset tautologia. Si hoc, duplex esset modus considerandi unius rei in unâ disciplinâ: id quod pugnat cum unitate disciplinæ specificâ. Ex his patet multos huic legi

legi